

Lautia, Graeco scripturae exemplo, Λαύ-  
 τεia, apud Plutarchum, in αἰτίοις. secus hic ef-  
 ferunt eruditae pronunciationis interpretes,  
 Philippus Labbeus, et Io. Baptista Ricciolus.  
 uterque, sine pronunciandi mora. Gl. *Lau-*  
*cia. singulare non habet.* ita quidam ue-  
 teres libri. codd. aliqui *Lautitia.* mendose, ut  
 scienter obseruat Philippus Beroaldus. aliqui li-  
 bri. *Lautiae.* pari corruptela. in hos codd. inci-  
 disse uidetur Gu. Budaeus, cum Lautia, sequiori  
 genere, et numero singulari, extulit, Annot.  
 priorib. in Pandectas. ubi explicat, quid  
*Lautiae*, ut loquitur, *appellatione* contineatur.  
 at idem in Commentariis Ling. Gr. rectius di-  
 xit *Lautia.* quare, in Thesauro Ling. Lat. ne-  
 gligentius prouocatur ad Budaeum. *Lautia*  
*etiam feminine.* nam codd. obstant castigatio-  
 res. Lautia Sexto Pompeio Festo sunt, quae ue-  
 teribus *Dautia.* perinde ac *dacrymas*, pro *lacry-*  
*mas*, saepe dixit Liuius. ex prisca consuetudine  
 aeui, quae, usitata literarum commutatione,  
 Graeci moris exemplum imitatur. quare Iosepho  
 Scaligero, et Gerardo Ioanni Vossio, Lautia  
 sunt Graecorum δαῦτια. neque aliter Claudio  
 Salma-